

IN FUNERE
MARIAE I.
LUSITANIAE REGINAE FIDELISSIMAE
ORATIO
HABITA IN SACELLO VATICANO


AD SANCTISSIMUM DOMINUM NOSTRUM

PIUM SEPTIMUM
PONT. MAX.

A RAPHAELE MAZIO ROMANO

SANCTITATIS SUAE PRAELATO DOMESTICO

ATQUE AB EPISTOLIS LATINIS.




ROMAE MDCCCXVII.

TIPIS PAULI SALVIUCCI.)(*SUP. PERMISSU.*

JOANNI VI.

REGNI UNITI

PORTUGALLIAE, BRASILIAE, ET ALGARBIORUM REGI FIDELISSIMO




RAPHAEL MAZIO

Nemini profecto melius aut justius matris laudes quam ejus filio offerri possunt. Electus itaque a Sanctissimo Domino Pio *VII. Pontifice Maximo, qui coram Eo, adstante purpu-*

ratorum Patrum Collegio, ordinibusque omnibus qui in Sacrarium domus Pontificalis ad Sacra solemnia conveniunt, de Maria I. Lusitaniæ Regina Fidelissima, Genitrice tua, quam superiori anno, Tibi, totique Regno ac Nationi mors eripuit, verba facerem quum ei justa solemnia persolverentur, Tibi uni, Joannes Rex, hanc qualemcumque meam orationem inscribendam esse judicavi. Munus, quamquam in se ipso exiguum, gratius Tibi Magno et Augustissimo Regi me offerre non posse sum arbitratus. Laudes enim in hac Oratione persequor Reginæ omni tam in Religionem, quam in Rempublicam meritorum genere cumulatissimæ, quam si inter majores tuos recensere præclarum est Majestati Tuæ, eam parentem, divino beneficio Te esse nactum multo Tibi debet esse gloriosius. Quam profecto gloriam quanti faceres vel ab ipso Regni Tui exordio luculentissime ostendisti. Ejus enim vestigiis inhærens, omnesque, quibus excelluit, virtutes, benignitatem præsertim, summamque in populos sibi subjectos clementiam, ad imitandum Tibi proponens, Colonicum illud, cui Bra-

siliæ populi obnoxii erant, jus in perpetuum sustulisti, eamque Ditionum tuarum partem Regni prærogativa et appellatione donasti ut nulla inter Nationes, quæ a Te gubernantur, esset, quæ æquo cum cæteris jure, æqua rerum omnium quæ ad tranquillam vitam ducendam necessaria sunt, abundantia, æqua felicitate non frueretur. Atque utinam de tanta tui Genitrice, cujus Tibi non accepta tantum et cara, sed gloriosa in primis memoria est, pro dignitate dicere potuissem! Id tamen pro viribus, in tanta tenuitate ingenii mei, conatus sum ut quam possem dignius ac verius tantæ Reginæ imaginem exprimerem. Nec vero mihi verendum est ne, munus hoc offerens Majestati Tuæ, grave et acerbum, quod ex Parentis tuæ obitu suscepisti, vulnus refricem. Minime enim dubium est mihi quin tui amantissimam Matrem semper habeas præ oculis, quam nihil Tibi, vel si velles oblivisci, in memoriam non revocat, deque cujus laudibus tota et nunc personat Lusitania. Mihi autem magnopere gaudenti quod laudandi publice atque in tam augusto consessu genitricem tuam, benigni-

tate PII SEPTIMI *sors fuerit oblata, hoc etiam nomine esse laetandum existimo, quod haec, quam Tibi offero Orationem, sit omnium prima quae de Reginarum vita functarum laudibus habita sit coram Summo Pontifice, propterea que hanc ob causam Tibi esse debeat acceptior. Hanc igitur, precor Majestatem Tuam, ut ea clementia et benignitate velis excipere quae, ut Maximos decet Principes, inter Regias, quibus tantopere praestas, virtutes tuas, Tibi solet esse carissima. Habeas illam mei in Te potentissimum sapientissimumque Regem, atque praeclarissimam Familiam Tuam observantiae, studii, obsequiique veluti monumentum, meque in amplissimam clientelam tuam recipere, patrocinioque tuo confovere non dedigneris.*



QUAMQUAM ex veteri quadam consuetudine, BEATISSIME PATER, nunquam antea a Romanis Pontificibus nisi Imperatoribus ac Regibus parentaretur, nova tamen lege constitutum a TE nuper est, ut si qua regium jure suo in posterum fœmina teneat imperium, ei quoque in hoc Orbis terrarum nobilissimo, augustissimoque loco justa funebria persolvantur. Cujus autem omnium primæ, post decretum hoc tuum, funus adornatur MARIA est Lusitanorum Regina Fidelissima quæ superiore jam anno diem obiit extremum; ea scilicet Regiæ domus fœmina quæ ex Lamecensi lege qua Lusitaniæ Regum successionis ratio constituitur septimo ante

sæculo lata ad majorum suorum imperium accessit, illudque tanta gessit cum laude, ut & per eam insigni quodam argumento probatum fuerit fœminas quoque ad Rempublicam administrandam idoneas aptissimasque esse censendas, & ipsa potissimum ad Lusitanæ gentis splendorem, gloriam, & magnitudinem adaugendam a Deo electa fuisse videatur. At quoniam Tu, Pater Beatissime, qui Mariæ I. funus cohonestare voluisti, nondum tuæ in eam pietati satisfactum esse judicasti, nisi existat aliquis qui hodierna die coram Te, atque hoc, qui Te circumstat, præstantissimorum virorum conventu, verba faciat, ne quid omnino quod ad exornandam & celebrandam ipsius memoriam prætermissum dicatur, idque munus a me potissimum obiri volueris, parebo voluntati imperioque tuo: doleo tamen quod quum hujus fœminæ præstantes eximiæque virtutes, quibus non Lusitaniam modo, sed universam fere Europam illustravit, non humile atque abjectum dicendi genus, sed illustrem ac sublimem orationem expostulent, contra ego id polliceri non ausim. Sed qualiscumque mea futura sit oratio, si minus dignitati argumenti, & Mariæ meritis ac magnitudini respondebit, satis tamen, arbitror, erit ad publicam admirationis nostræ significationem, ad solemne amoris tui erga illius memoriam, atque erga Augustissimum illius Filium Lusitaniæ, Brasiliæ & Algarbiorum Regem Fidelissimum benevolentiæ testimonium præbendum.

Mariam Reginam laudaturo illud in primis mihi consentaneum videri posset, ut de Regiæ ejus familiæ splendore atque amplitudine, unde magnorum virorum laudatio fere semper ducitur, verba facerem. Quamquam enim ea verior & magis cuique propria censenda sit laus, propterea que primo loco statuta sit, quam sibi quisque sua virtute pepererit, non in postrema tamen classe eam esse positam judicandum est quæ a nobilitate & splendore generis proficiscitur. Est enim magna, quidquid contra opinari quis velit, vis originis & sanguinis, plurimumque nobilitas generis lucis ac fulgoris affert virtuti: natura namque & disciplina ita parati sunt homines ut in majorum suorum imagines intuentes, eorum praeclare facta sibi ad imitandum proponant, & acrioribus ad omnem virtutem stimulis ab ipsorum laudibus impellantur. Si igitur a Familiæ illius dignitate a qua Maria orta est laudationis ejus mihi exordium sumere necesse esset, quid de ea vere copioseque dicere non possem? Patrem enim illa habuit Josephum Joannis V. Regis fidelissimi, cujus nomen Ecclesiæ Sanctæque huic Sedi carissimum semper erit, et Mariannæ Austriacæ filium, qui propterea ex paterno maternove genere non Lusitaniæ modo Reges, sed vetustissimos ac ferme omnes Europae Principes atque Imperatores inter majores suos recensebat. Matrem vero nacta est

Mariannam Victoriam quae per genitorem suum Philippum Borbonicum Hispaniarum Regem ad Sanctissimum Galliæ Regem Ludovicum IX. genus suum referebat . Sed , ut in uno paterno ejus genere consistamus , nonne ad Mariæ decus pertineret gloriae illius amplitudo qua perpetua maximorum Regum series emicuit , qui militari virtute excelsoque praestantes animi robore remotissimis terrarum Orbis regionibus detectis , pluribus Asiæ , Africæ , Indiarum , & Americæ populis in suam potestatem redactis , plurimis Barbarorum Regibus armis devictis , patria a tyrannide liberata , Regni hostibus bello domitis , & ubique terrarum superatis , Lusitaniæ populis sapientia , amore , paternaque providentia gubernatis , Nationem universam ad eum dignitatis gradum evexerunt , ut maximas bellicosissimasque gentes in ejus traxerint admirationem ? Sed quamquam vere & copiose ab illustrium maximorumque majorum splendore ac laudæ Mariæ dignitatem ducere possem , quid mihi est opus id facere , quum tantam ipsa sibi virtute meritisque suis gloriam pepererit , ut , etsi non generoso tot Regum sanguine decorata supremum gentis suæ adepta esset imperium , satis tamen omnium judicio magnitudinis & celebritatis habitura fuisset ? Quare generis ejus ornamentis posthabitis , ea tantum hoc loco a me jure arbitror esse commemoranda quae unius Mariae

propria sunt, quæ non a majoribus suis ducta, quæ ipsa sibi sua virtute ac meritis comparavit.

Unde igitur in te ornanda ac laudanda exordiar MARIA? Certe si mihi alia quapiam in Urbe, profano quodam in loco, coram alio Principe verba facienda essent, paululum ambigere fortasse possem unde laudationis initium a me esset sumendum; quamquam ne dubitare quidem mihi prorsus liceret quin prima ex omnibus ea esset recensenda virtus unde vera ac solida non privatorum modo, sed supremorum etiam Principum oritur laus. Sed cum in sancta hac Urbe, sanctissimae religionis sede ac centro, cum tam sacro in loco, cum coram Te, BEATISSIME PATER, JESU CRISTI Filii Dei in terris Vicario, Te ipso jubente hæc a me oratio habenda sit, quis nam dubitandi locus esse potest, quin præ omnibus MARIAE virtutibus, ejus religio commemoranda a me, & collaudanda sit, quam quidem ipsa in tanta regiarum virtutum copia nunquam non præcipuum splendidissimumque existimavit dignitatis suae decus & ornamentum?

Multis ea quidem incitamentis ad pietatem ducebatur, et quibusdam veluti stimulis impellebatur: nam & egregiam a natura ipsa nacta erat indolem animique habitudinem in bonum proclivem, & ex ea erat stirpe progenita quae incorruptam Catholicam fidem christianamque semper virtutem professa erat, et domestica etiam,

Aviæ præsertim Matrisque, quarum singularis in hoc virtutis genere laus fuerat, exempla ante ejus quotidie oculos obversabantur. Quot tamen ab egregiis Majoribus degenerare non vidimus? quot, licet præsidiis omnibus ad recte sancteque vivendum instructi, aut turpiter lapsi sunt, aut, cum in privata vita ab officio non discessissent, atque omni etiam virtutum genere præstitissent, ad altiorem gradum evecti, & supra cæteros constituti a recti justique semita declinaverunt! Non ita tamen Maria. Sed quid dico non ita? Eam ne igitur a me hoc solum nomine collaudandam esse arbitrabor quod vitæ ejus ratio ac disciplina a domesticis exemplis, meritisque non aberraverit, cum tam insignibus argumentis probare possim non communem, non vulgarem, sed eximiam, sed singularem, sed præstantissimam pietatis laudem in tota ejus vita omni prorsus ratione sibi promeruisse? Quam ob rem quae communiter in egregiis nobilissimisque virginibus laudare solemus verecundiam, pudorem, innocentiam, in parentes reverentiam, in Deum atque in Coelites obsequium quamquam Maria primam ætatem suam in virtutum istarum exercitio transegerit, non commemorabo: quod præterea Parentum voluntate summaque lætitia omnium ordinum viro Principi nupta, qui cum cæteris nominibus, tum præcipue ob pietatem suam omnium dignissimus habebatur qui religiosissimæ huic foeminæ copu-

laretur iis omnibus virtutibus eminuerit quotidie magis, unde spectatissimarum Matronarum laudatio duci solet, neque in his immorabor. Quare quod casta, quod continens fuerit, quod matrimonii quæ suscepit officia a veræ pietatis operibus non sejunxerit, quod in filiorum educatione ad christianam normam exigenda diligentissime versata sit, quod a vanitate, a luxu, a pompis abhorrens coelestia præ cæteris omnibus adamaverit, quod frequens in Templis cum piissimo Conjuge conveniret, silentio præteribo. Festinat enim animus ad ea tempora gressum facere quibus ad imperium evecta, & quo magis edito & illustri loco posita eo majori virtus ejus claritate ac splendore circumdata, omniumque oculis palam objecta fuit; ut, actionum suarum testes atque æstimatores haberet universos, qui ei parebant, Lusitaniæ cives et incolas. Quae enim rerum domina cum esset pietatis suæ praebuit specimina tam illustria sunt, ut etiamsi reliqua taceantur, qua religionis laude in privata vita sua præstiterit satis superque commonstrant.

Oh felix ac vere beatum Lusitaniæ Regnum! Pietas enim tuorum Regum, ut omni cum veritate dici de te posse affirmavit Benedictus Papa XIV. (*) *illud fundavit, haec ampliavit, haec ad summam gloriae ac laudis magnitudinem evexit, haec in ea amplitudine qua nunc floret servat*

(*) *In Bulla Canonizat. B. Elisabeth Lusitanor. Reginae.*

et custodit. Oh te felix quod merito gloriari possis ex Principibus illis quorum imperio gens tua paruit fortasse neminem extitisse qui hoc laudis genere non excelluerit! Ecquid contingere beatins tibi poterat quam a religiosissimis Regibus gubernari? eorum enim vitam populi habentes propositam communemque quodammodo legem existimantes, non modo temporariam hanc, sed illam multo præstantiorem quæ in beata aeternaque vita posita est felicitatem facilius sibi compararunt. Felicitas vero ista quam exactis retro seculis perpetuo comitem habuisti, neque te postremis hisce temporibus pietati & virtuti infensissimis dereliquit. Nunc etiam amoris divini præcipuum argumentum habes in Augusto Rege illo qui cum Regno ipso, Mariae pietatem hæreditario sibi jure tot nobis argumentis se acquisivisse commonstrat. Sed, quamquam de religiosissima Matre dicentem piissimi quoque Filii laudes non dedeceat commemorare, cum tamen instituti mei sit de ipsa loqui, ad eam, unde digressa est, oratio mea revertatur.

Josephus igitur I. Lusitaniae Rex diem claudit extremum. Ex lege Lamecensibus Comitiis lata Mariae ejus filiae Lusitaniæ universæ imperandi jura deferuntur, itaut vir quidem ei esset Petrus III., Rex honoris, conjugiique gratia nuncupatus in nullam tamen administrationis ejus societatem veniret. Ex eo tempore patentiorem campum exercendae virtutis suae nacta, illud ante

omnia sibi proponit ut exemplo primum, deinde universa administrandi Regni ratione religionem asserat, pietatem inflammet, Dei optimi maximi gloriam potentia, opibus, auctoritate sua tueatur.

Egregie autem a me cum MARIA actum existimabo si ex caeteris pietatis ejus exemplis primo loco illud commemorem quod in ipso Regni ejus exordio reverentiæ suæ erga spectatissimam genitricem exhibuit argumentum. Neque enim mihi dubitandum est quin hæc MARIAE in genitricem suam observantia inter prima pietatis ejus in Deum indicia sit recensenda: amor enim cultusque erga parentes qui sunt *immortalis Dei quædam veluti simulacra ortum habent a charitate Dei, qui Nobis est auctor ut eos vereamur*, propterea que *honor quem parentibus habemus Deo potius quam hominibus haberi* censendus est (*). Cum autem observantiam dico, non de ea reverentia loquor qua perpetuo Matrem suam coluit, sed peculiarem dico, sed insignem, eamque publico solemnissimoque testimonio probatam. Defuncto, uti diximus, Josepho I. patre, Marianna Victoria Regina Uxor ejus, e Regni solio, in quo tot annos cum Viro suo sederat, sine mora descendit, & Augustæ Filiæ dextera apprehensa, illam in solium ipsum ducit, in eoque collocat. Regni Proceres, omniumque Ordinum cives, eam, ut do-

---

(*) *Catech. Rom. par. 3. de 4. Præcepto cap. 5.*

minam, cum amplissimis reverentiæ significationibus venerantur. In tanta hac Regalis Aulæ pompa & celebritate, egregia Mater dominam Reginamque in filia & ipsa agnoscit suam, & flexo poplite in eo est, ut manum ejus exosculetur. Nobile tunc in primis egregia Regina omnium oculis præbet spectaculum: subito enim hoc Matris obsequio excitata non patitur sese ab ea hac testificatione honoris coli, quam, Deo jubente, venerandam a se ac reverendam esse intelligit, immo vero parentem suam amplexata, se populorum quidem sibi subditorum dominam, ejus tamen subditam famulamque & esse, & agnoscere sese palam verbisque luculentissimis profitetur. Quis autem in egregio hoc facto non eximium atque excellens Deo redditum obsequii genus agnoscat? non mite ingenium, non animus ad comitatem atque ad officium proclivis, non amor tantum ac filiæ in matrem benevolentia tam illustrem elicere potuit reverentiæ significationem. Nam qui summum imperium tenet, quum neminem, in Regni Ditionisve suæ administratione, superiorem agnoscat, una potest Religione moveri, ut quam sibi, non secus ac cæteros, subesse cognoscat, ei peculiarem publicamque venerationis præbeat testificationem.

Quæ vero parentem suam, veluti Dei imaginem ita colebat, quo putabimus studio Deum ipsum, præsertim publice, coluisse? Profecto quum

ad publica Templa accedebat, accedebat autem frequentissime, quo majorem sentiebat esse præ cæteris dignitatem suam, locumque excelsiorem quem in terris tenebat, eo humilius, ante Majestatem divinam prosternebatur, ut & cultum quem debebat Deo redderet, & intuentibus commonstraret quanto supremum Numen hominibus omnibus licet sublimissimis excelleret. Id autem patebat maxime diebus illis, quibus annua Dominicæ Passionis recolitur commemoratio: Regina enim, universo Nobilium Aulicorum Regnique Procerum comitatu stipata, cum ad Crucem adorandam procederet, ad Christi pedes se ipsam, atque una secum quidquid magni & excelsi in Mundo esset abjicere videbatur, novumque augustissimis Ecclesiæ cæremoniis splendoris ac dignitatis genus addebat.

Illustrius ne pietatis ejus exemplum postulatur? Proferam quidem, quamquam non sine dolore: horret enim animus sacrilegum scelus illud commemorare, quod, ea regnante, Palmellæ per summam temeritatem admissum est. Templi aditu fures noctu violato, tabernaculum ipsum invadunt, & Sanctissimæ Pixidi sceleratas inferre manus non reformidant. Quam indigne, quam nefarie ipsas Augustissimi Sacramenti species impii homines contrectare ausi sint, quisque, me etiam tacente, ut opinor, intelligit: cæco enim acti furore nonnisi de præda cogitant, & quidquid inexplebili atque effrænatæ furandi libidini impe-

dimento esse potest aspernantur, abjiciunt. Horrendum facinus Reginæ nunciatur. Quid autem illa? acerbissimo quodam veluti accepto vulnere, afflicta jacet initio atque prostrata: cruciatur deinde, conficitur, torquetur, in amarissimas prorumpit lacrymas, nullaque res vehementissimum dolorem ex tanta divinæ Majestati illata injuria susceptum consolari potest. Tum paulum confirmata, suum esse ducit curare, ut tantum expietur crimen, divinusque honor conculcatus pessundatusque, qua fieri possit ratione, restituatur. Jubet itaque Regiam universam in luctu esse, publicas supplicationes indicit, sacramque ipsa pompam, lugubrem vestem induta, una cum Regio Conjuge, Principibus, cæteroque Regni comitatu prosequitur. Quibus ad placandum Deum sedulo curatis, in reos tanti criminis diligenter inquirit, largissima indicibus præmia pollicetur, debitasque scelestissimis hominibus pœnas & supplicia parat; & natura quum esset mitissima, atque ad misericordiam, & clementiam proclivis, quum de honore Dei agitur, irascitur, ardet, induit severitatem.

At quoniam Oratio mea a virtutis exemplis, quæ primo loco posueram, ad Mariæ operam, atque ad eam partem justitiæ, quæ ad Deum rite colendum pertinet, transgredi jam ultro cæpit, eo libenter persequar. Nam non est ea quidem ab iis negligenda, quibus regendorum populorum administratio

a Deo in primis tradita atque commissa est: ipsa enim Religio & Sacrorum cultus, si pure integreque in Regno aut Natione aliqua servetur, populos in fide atque in officio continet, pacem concordiamque cum intra Urbium mænia, tum inter privatos ipsos parietes nutrit; contra si a piis veteribusque institutis recedatur, sublata Sacrorum reverentia perturbantur omnia, & paulatim a disceptationibus contentionibusque ad arma descenditur; quod utinam non funestissimo experti, vel nostris hisce temporibus, essemus, exemplo! Quæ cum intelligeret MARIA, propetereaque populorum suorum felicitatem non tam in opibus & affluentia rerum militumque delectu, quam in virtute ac religione collocaret, præcipue in ea re curam semper esse censuit adhibendam, ut antiquum in Sacris faciendis honorem, cultumque debitum custodiret, ut pietatem in Deum, reverentiam in Clerum bonosque mores pro viribus promoveret, ut omnia denique sua dicta, facta & cogitata ad Catholicæ Religionis decus & amplitudinem revocaret. Statim igitur ab accepto imperio, quod jam in privata vita sua nunquam non egerat, ut primum de rebus quæ religionem spectabant, tum de terrenis cogitaret, initium regiminis sui fecit a domo Dei. Monitis quippe Josephi I. Patris sui sibi confestim propositis ex Antistitibus unum ab Ecclesia sua exulem in suam restituit Sedem, pluresque e carceribus mandavit extrahi Sacros Mi-

nistros, qui sub ærumnarum pondere diù contabuerant; noxios autem quam plures cum in custodiam jussisset duci, quos ex iis a sæculari jurisdictione novit exemptos Archiepiscopo Petrensi, Apostolico apud Majestatem Suam Nuncio, constringendos judicandosque reliquit. Piissima autem ista Parentis sui mandata tanta celeritate perfecit, ut Sanctitatis Vestræ, BEATISSIME PATER, Decessor Pius VI. in Oratione illa sua, qua Sacro Cardinalium Collegio Regis obitum denunciavit, spectatissimæ Filiæ Religionis firmitatem, propensamque in omnem justitiam voluntatem summis laudibus affecerit, indeque certissimo quodam indicio conjecerit, hanc castæ integræque religionis fœminam, futuram in omni posteritate veræ virtutis exemplar, magnamque sibi celebritatem comparaturam. (1) Prævidere quodammodo tunc mihi visus est gloriosissimus ille Pontifex quæ pia postmodum Regina, tanta cum sapientia ac pietate ad Dei gloriam & religionis splendorem decrevit, tantoque cum bonorum plausu & consolatione perfecit. Nam, ut religiosæ Societates, a quibus tam magnum Ecclesiæ ornamentum & præsidium paratur, rite regerentur, novaque splendoris accessione illustrarentur, ejus opera ac sollicitudine

---

(1) *Allocut. habit. in Consist. Secreto die* 12. *Maii* 1777. *inter Allocut. Homil. et Epist. S.M.Pii VI. edit. Amstelodam. an.* 1792. *pag.* 36.

effectum est: ut Religiosi, Militaresque Ordines ad majorem honoris amplitudinem veherentur, constitutis dignitatum gradibus, insignibusque, ei referri debet acceptum: ut stata Sacra rite, decenter, ac splendide peragerentur, exemplo, monitis, adjumentisque suis est tribuendum: ut Patriarchalis Olisiponensis Ecclesia Principibus, Sacerdotibus, aliisque Sacrorum Ministrorum gradibus aucta & locupletata hierarchicos Cælitum in conspectu Dei adstantium referret ordines, ipsa providit: ut fidelium amor erga Christum Dominum magis incenderetur constituto, decretoque per Apostolicam Sedem Festo Sanctissimi Cordis Jesu die Mariae pietas curavit: ut, remotis difficultatibus, omnia quæ circa Beneficiorum collationem in Regno ejus tenenda essent, inita cum Apostolica hac Sede conventione, firmiter constituerentur, ipsa annuente ac volente perfectum est.

Multa a me quidem alia, ne in immensum excrescat Oratio mea, quamquam memoratu dignissima, prætereunda esse sentio; propterea que religiosas domos, minoraque illa Templa partim a fundamentis erecta, inter quæ Sacrarum Virginum a B. M. Visitatione nuncupatarum Coenobium primum obtinet locum, partim a fundamentis erecta partim studio ejus jussuque refecta largissimisque præsidiis munita minime commemorabo. Eximiam vero pietatem atque amorem in Deum, quo Mariae animus conflagrabat, augustum ac ve-

re maximum Templum illud testatur , quod in Regia Olisiponensi Urbe regali vere ejus munificentia erectum est , Sanctissimoque Cordi Jesu dicatum , in quo ut major divino Numini cultus tribueretur , sacrarum Virginum Collegium constituit , quæ diu noctuque divinas iu eo landes persolverent : quum vero Anniversarius Sanctissimi Cordis Jesu dies ageretur , in illud quotannis templum Ipsa in primis regio cum apparatu tum , ea jubente , singulorum Ordinum Proceres , nobilibus splendidisque , quibus ab ea honestati fuerant , dignitatis insignibus ornati conveniebant . Neque alienum a laude ejus esse puto si hoc loco commemorem , quae Templi hujus ædificandi causa & ratio fuit , quæ quidem Mariae Reginæ & singularem in Deum pietatem , & eximium in Lusitanam gentem amorem æque commendat . Nam quum a conjugio ejus cum Petro Rege heredem & successorem Regni quam citissime oriri universus Lusitaniæ populus ingenti cum anxietate ac sollicitudine concupisceret , atque Ipsa , nihil timeret magis quam ne vetus , & nunquam satis deplorandum perturbationum ac cædium exemplum renovaretur , quibus olim Lusitanum Regnum , deficiente qui suo illud jure susciperet , exagitatum fuit , enixis , precibus a divino Numine efflagitavit,ut sibi prolem eamque virilem concederet . Voti compos facta,& per natam prolem Regiæ Familiæ Brigantinæ gloria , Lusitanæque gen-

tis felicitate constituta, prolem ipsam Omnipotenti Deo pro incolumitate populorum suorum devovet, proque collato in se, atque in universam Nationem tam insigni beneficio Templum illud, primo lapide ab ipso Rege Conjuge delato, tamquam perpetuum grati devotique sui in Deum animi monumentum ædificandum decernit.

De studio autem quo Maria semper præstitit conservandæ propagandæque Catholicæ Religionis, quid dicam quod novum, quod singulare, quod inexpectatum possit accidere? Vere enim, quod tot Pontifices Summi, præsertim vero Paulus III., Pius IV., S. Pius V., Clemens X., Benedictus XIV. publicis monumentis testati sunt, Lusitaniæ Regum pietas ac virtus nullo non tempore Christianum nomen non modo armis, opibus, & sanguine tutata est, verum etiam longe lateque studio, cura, ac sollicitudine propagavit. Atque utinam is Orationi huic meæ concederetur excursus, ut mihi de tantis illis Lusitanorum Regum in religionem meritis dicendi copia fieret, quam libenter quæ in eo Regno, quæ in Hispania, quæ in Asia, quæ in remotissimis Africæ ac Americæ partibus, incredibili studio ab iis gesta sunt, ornanda susciperem! Commemorarem clarissimum illud Regni lumen & gloriam Henricum Principem, qui vigintiquinque de Mauris reportatis victoriis, multisque, de manubiis ac spoliis hostium, Templis ac Coenobiis erectis, peractaque Religionis studio Hie-

rosolymorum expeditione, animam in ipso bello, prout Fidei propugnatorem decebat, ad Asturicam quam obsidebat, profundere non dubitavit. Non silerem Alphonsum tanto patre dignissimum filium, qui numquam a persequendis bello Crucis hostibus terra marique cessavit, donec, exterminata a Lusitaniæ finibus Mahumetana superstitione, Catholica Religio suam veluti in sedem honoremque pristinum restitueretur. Joannem hujus Nominis tertium non præterirem, cujus præsidio ac tutela S. Franciscus Xaverius uberrimos fructus in Indiarum regionibus collegit. Dicerem Sebastianum, cum Mauris Religionis hostibus fortissime decertantem, honestissima morte enectum. Nec missa facerem tot alia bella a Lusitanis regibus adversus Mauros, Turcas, Saracenos, Idololatras pro religione suscepta, auxilia contra internecinos Turcarum impetus, Romæ & Italiae ab ipsis præstita, eorum opera Christi nomen, ac salutarem Evangelii doctrinam barbaris atque efferis Nationibus nunciatam, innumerabilem fere Indorum multitudinem eo cum fructu armis subactam, ut, abjecta veteri superstitione, Christianam religionem agnoscerent & amplecterentur, sacros Ministros ac Verbi Dei præcones regio sumptu & Apostolicæ Sedis auctoritate in illas regiones missos & sustentatos, populos ad Catholicam veritatem adductos, splendide sublevatos, Templa inter barbaras gentes ve-

ro Deo ædificata , extructa apud illas religiosorum virorum coenobia , erecta ad informandos juvenes Seminaria ; hæc ego , aliaque hujusmodi ad commemorandum illustria , & ad ornandum accomodata , quæ ad diffundendum christianæ veritatis lumen , a Lusitanis Regibus gesta sunt , longa oratione persequerer , nec mihi verendum foret , ne hoc in argumento copia deesset , quam Oratori multo uberrimam insignia Regiæ istius stirpis monumenta suppeditarent . Verum , cum MARIAM Reginam mea potissimum spectet oratio, quid hic ego dicam , BEATISSIME PATER ? Dicam id quod vere dici , & potest , & debet , non minorem ei curam ac cæteris qui eam in Lusitaniæ Regno præcesserunt fuisse eorum , *qui in tenebris atque in umbra mortis sederent , ut abjicientes tenebrarum opera arma lucis induerentur* . Quod si non tantæ celebritatis opera de MARIA Regina , ac de Majoribus ejus prædicari possunt , id non ex eo evenit , quod minus ipsa foveret animo propagandæ Fidei studium , sed quod , adnunciato jam ipsorum patrocinio , in regionibus illis Christi nomine , non tam insignibus christiana res providentiæ suæ curis indigebat , nihilque aliud fere postulare videbatur , nisi ut quæ alacriter incæpta , & quæ sapienter Decessorum ejus opera constituta atque ordinata fuerant MARIAE REGINAE studiis , auctoritate , opibus sustinerentur ; cujus profecto si religionis studium vel minimum deferbuisset , tot egregie excogitata et feli-

citer instituta nec diu sarta tecta manere, nec optatos fructus edere potuissent. Hæc vero, sive omnium dignissimis Evangelii præconibus conquirendis, sive itineribus, laboribusque eorum, patrocinio suo protegendis, sive collatis in pium opus sacrarum Missionum munificis, largissimisque subsidiis Maria ita præstitit, ut argumento omnibus fieret pietatem ejus intra imperii sui terminos contineri non posse, sed universas fere qua late patet Orbis regiones, populosque complecti.

Supervacaneum autem est dicere, quum de tam pia Regina verba faciam, quanta illius erga Apostolicam Sedem fuerit observantia. Quo enim quisque Christum ipsum sanctius ac religiosius colit, eo studiosius ac reverentius ipsius in terris Vicarium colat necesse est. Itaque quo pacto illa de Sanctissimo Pontifice Pio VI. & sentiebat & loquebabur; quomodo & quam multa de Te, Beatissime Pater, qui successor illius divino consilio delectus es, ac quam mirifice prædicabat! Quæ omnia Mariae in Deum, in Ecclesiam, in Sanctam Sedem merita talia sunt, ut nisi nobilissimum illud Fidelissimae cognomen a Majoribus suis, hereditarium accepisset, id ipsa sibi suisque posteris, sua virtute ac religione peperisset. Quare quod immortalis Pontifex Benedictus XIV. solemniter asserere non dubitavit (*) *tantis pietatis operibus, et tam praeclare*

(*) *In Bulla Canoniz. B. Elisabeth Lusitanor. Reginæ.* §. 1.

a Lusitanis Regibus in bello et pace pro religione gestis, hanc inter cetera ampla mercedem retulisse benignissimum Deum, ut in Regia domo ac familia existerent fœminæ morum integritate et vitæ sanctitate illustres, Deo dilectæ, & mundo mirabiles, id a MARIA etiam magna ex parte confirmatum fuisse merito potest affirmari.

Itaque quum religionis virtutem, quæ virtutum omnium procreatrix veluti est, MARIA Augusta adeo sancte integreque prosequeretur & coleret, quid mirum quod in aliis omnibus, non Christiano homine solum, sed magno etiam Principe, dignis virtutibus tantopere emicuerit? Quam enim excellentes, quam admirabiles in ornatissima fœmina fuerunt animi dotes, quam rara indoles, ingenium facile, incorrupti mores, quibus nimirum ornamentis parata se ad imperii splendorem natam semper ostendit. Nunquam non ad normam justitiæ, firmamentum illud rerum gerendarum, actiones & cogitationes dirigebat suas; ex ea semper hauriebat tutissimum innocentiæ præsidium, certum improbitatis exitium, summam in subditos sibi populos humanitatem, faciles ad se quotidie accessus, miram audiendi patientiam, miserationem in egenos, egregia in omnes merita. Itaque quo studio, quo amore statim ac imperitate cæpit eam subditi complexi sunt populi! Omnium siquidem animos ita sibi devinxit, ita grata benevolentia allexit, ut nihil ipsi mallent quam sibi quam diutissime imperare.

Sed ut majora prosequamur, quis ignorat, quomodo, ab extincto Josepho Patre, ejus Regni initia se habuerint? Duo inter potentissima Regna Lusitanum nempe Hispanumque, omni opum & armorum vi de Provinciis Americæ contendebatur. Coloniis Lusitanorum omnibus bello ardentibus, nonnullis autem ex illis jam ab hostibus captis, magnus civium numerus incredibili calamitate premebatur, ingentemque ærarium Regium vectigalium jacturam patiebatur. In hac tanta rerum angustia, quo erat animo Maria ad concordiam ac lenitatem & natura ipsa proclivis, & à religione conformata, tantisque, subditorum sibi populorum ærumnis, ac florentissimi Regni damnis commota, rataque pacem justissimo etiam utilissimoque bello esse præferendam, totam se ad componenda cum Hispaniæ Rege dissidia contulit. Itaque Reginam Mariam Victoriam genitricem suam in Hispaniam hujus rei gratia mittendi consilium iniit, idque brevissime consequuta est, ut honestissimis conditionibus pax inter utrumque Regnum conciliaretur. Fuit hic sapientissimæ, supra muliebrem sortem, providentiæ fructus; extincto enim bello, egestati, cædibus, vastitati finis impositus, artes, litterae, agricultura, commercium, omnia denique, in quibus populorum tranquillitas sita est, restituta fuerunt. Itaque id sapientia ejus Lusitani sunt consequuti, ut dum aliæ gentes ac Regna sæpe bello concurrerent, Regnum illud pacato otio abundaret, & quoad ipsa

Regno præfuit, in jucundissimæ pacis gremio conquieverit, ac nulla neque externorum, neque domesticorum armorum impressione turbari potuerit.

Neque vero magnanima Regina eam ob causam paci studuit, quod aut ad comparandum, si ita jus ac dignitas Regni sui posceret, aut ad administrandum bellum animus ei ac vigor deesset; nec usque eo pacem adamavit, ut pacis tempus ad oblivionem belli conferret. Immo vero, rata, pro sapientia sua, Urbes, Fora, scientias, litteras, pacem denique ipsam custodienda esse armis, quidquid, ad asserendum ejus, cui præerat, gentis decus & securitatem, prodesse poterat, quietis opportunitatem nacta, diligentissime procuravit, atque adjumenta omnia, quæ, cum ad pacem fovendam, tum ad sustinendum bellum valerent, studiosissime comparavit. Itaque exercitibus collectis, classibus ædificatis, officinis armorum, aliarumque rerum ad belli usum institutis, Scholis propugnaculorum defendendorum fundatis, universum Regnum eo virium evexit, ut bellum aut injuste illatum strenue propulsare, aut necessarium tuto posset inferre. Quid quod, gentis suæ indolem, quod sapientis esse studium Regis oportet, perscrutata, quum animadvertisset, transmarinis Regni possessionibus acquisitis, factum esse ut Lusitani navigationi reique militari maritimæ propensi essent, hoc eorum studium omni sibi esse ratione fovendum inflammandumque decrevit. Navalia itaque diligenter instru-

xit, portus instauravit, multiplicavit pharos, texendis funibus, aliisque ad navigationem necessariis operibus comparandis dedit operam, maritimas copias collegit, supremum Præfecturæ classium consilium instituit, effecitque, ut nihil prorsus deesset eorum, quibus Lusitana Natio terra marique valere posset. Et quoniam strenuos se idoneosque milites minime habituram sentiebat nisi, omni institutionis eorum ratione altius repetita, opportuno ætatis tempore eos informandos curaret, Scholas Matheseos, unde tot belli subsidia proficiscuntur, & Academiam in qua juvenes navigandi artem addiscerent Regia in Urbe fundavit, & præstantissimos utrique facultati Præceptores præposuit: Ut autem, adjumentis hisce comparatis, honoribus quoque ac præmiis hominum animos ad virtutem alliceret, munera merentibus elargiri, strenuos milites ad altiores gradus evehere, eosque, quos bellicis laudibus præstare cognosceret, cohortibus, ac legionibus, summos denique viros copiis suis exercitibusque præficere.

Tot tantisque præsidiis instructa, quid mirum quod tam feliciter honorem sui nominis, & Lusitanæ gentis dignitatem, quoties difficili aliquo in loco versata est, tueri potuerit? Multa hujus generis proferre possem, nisi vererer ne longius quam par est procederet oratio mea. Duo tamen hoc loco præterire non possum quæ, & quanta fuerit auctoritas ejus declarant, & argumento sunt quid sagacissi-

mæ Reginæ providentia Nationi illi profuerit. Primum illud ponam quod anno MDCCLXXXIII. actum ab illa est. Iniquum enim ac turpe jugum illud merito dedignata, quod Lusitania ferre cogebatur, solvendi piratis Africæ annuum tributum, classem ornatam atque instructam constituit, qua perpetuo fretum Calpetanum muniretur, atque ita barbaris illis a Lusitanis oris amotis, non modo ab eorum rapinis sibi subjectos populos vindicavit, sed ut tuto etiam aliæ gentes maria illa percurrere possent effecit; quod quidem consilium suis æque ac exteris salutare, magna cum Lusitanorum lætitia, summo cum aliarum Nationum plausu exceptum fuit, illudque fœderatæ Americanæ Provinciæ publica cum gratiarum actione sunt prosequutæ. Deinde vero, quum Angliam inter Provinciasque illas bellum exarsisset, solemniter professa est, nulli se parti studere velle, paratamque esse suum hoc vel armis sustinere consilium, quod, nemine contra obtinente, feliciter consequuta est.

Jam quum optimi Principis partes sint, non modo gentem suam ab externa omni vi & oppugnatione tueri, sed ejus etiam ornamento, ac dignitati consulere, quid est quod Maria Regina exquisita quadam diligentia & sollicitudine non curarit? Illud enim vero dici potest, nullam ex iis rebus esse, quæ culturam ac decus Lusitanorum spectare possent, quam Mariæ providentia complexa non fuerit, in quam toto pectore non incubu-

erit. Nam, ut a litteris incipiam, illisque liberales adjungam artes, quæ sic inter se conglutinatæ sunt & cohærent, ut aut vigeant simul, aut una simul intereant necesse sit, probe intellexit MARIA nullum fortasse certius, & politioris ingenii, & cultioris humanitatis a Natione quapiam indicium proferri posse, quam si plures ex illa prodeant viri tam in liberalissimis disciplinis, quam in honestissimis artibus excellentes, ac nullibi florere illas magis oportere, quam ubi amplissimum est constitutum Imperium. Didicerat autem nihil ad artes disciplinasque illas ad summam dignitatem & amplitudinem provehendas prodesse magis, quam supremi Principis studium atque favorem. Ita siquidem hominum ingenia parata sunt, ut nisi quibusdam adjumentis confoveantur, languere illa sæpe ac deficere necesse sit: his contra ad animi vim industriamque accedentibus, nihil præstans sit, quod feliciter efficere non possint. Hinc quæ maxime gentes in omni doctrinæ genere principatum tenuerunt, Græci videlicet, & Latini, mirum quam litteratis hominibus faverint, qua eos benevolentia complexi fuerint. Atque ut recentia hæc, remotis omissis, tempora percurramus, ita Ludovicus XIV. studio suo in fovendis optimis disciplinis Gallis animum addidit, & Nationis illius ingenia ad omnem laudem erexit, ita Leo X. Pontifex, ita Cosimi Medicei, ita Hippolyti Atestini, Mœcenates illi litterarum, bonarumque artium munificentissimi auctoritate præ-

sidioque suo earum studia amplificarunt, ut iis regnantibus, aurea propemodum Augusti ætas refloruisse visa sit. Quapropter MARIA, rata in iis quæ ad litterarum bonarumque artium incrementa pertinent ab illis sibi esse exempla petenda, nihil habuit antiquius quam ut eos vel patrocinio foveret, vel præmiis alliceret atque hortaretur, vel palam efferendos laudandosque curaret, quos bene de litteris artibusque mereri comperisset. Quapropter Mathematicæ scholis, ut diximus, conditis, optimaque ratione institutis, Mathematicos Conimbricenses amplissimis muneribus donavit, ingenia juvenum, qui in Gymnasio erudiebantur, collatis in eos præmiis illexit: Julium Cæsarem imitata, qui liberalium artium doctores, quo libentius & ipsi Urbem incolerent, & cœteri appeterent, civitate donavit (1) totius Lusitaniæ Professores, magno studio complexa, in honestissimum dignitatisque plenum Patriarchalium Canonicorum Collegium sæpissime cooptavit. Quid quod, quum ad eam usque diem Regia Urbs publica Bibliotheca careret, quæ supellectilem ad omnem doctrinam comparandam & instrumenta suppeditaret, ipsa locupletissimam fundavit, & Præfecto qui eam moderaretur, ac duodecim adjutoribus commisit? Strenuos quosdam juvenes, regiis sumptibus, Europam universam jussit percurrere, ut redeuntes in patriam ea, quæ in

(*) *Sveton. in Jul. Cæs. cap.* 42. 2.

omni doctrinæ genere, in physicis præsertim ac naturalibus scientiis, didicissent una secum referrent, sibique ac suis usui & ornamento essent. Domum *Piam* nuncupatam Olisipone constituit, quæ optimarum Artium veluti domicilium dici potest, in qua, omni adjumentorum genere instructi juvenes, Picturæ, Sculpturæ, & Architecturæ studiis incumberent. Sua demum ipsa sapientia, & cæterarum Nationum exemplo edocta, magnum aliquod in liberalibus artibus effici non posse, nisi optima exemplaria ab harum artium studiosis præ oculis habeantur, quibus illæ quodammodo vitam ac spiritum debent, quæque multa nostra hæc Urbs cæteris admiranda gentibus proponit, præstantis ingenii juvenes Romam misit, ex quibus Lusitana apud nos Academia, institutum illud in Urbe notissimum, earum artium colendarum causa, coaluit, quique assiduo signa hæc nostra, tabulas, ædificia studio perscrutantes imitantesque, id postea in Lusitaniam redeuntes consequuti sunt, ut maxima & excellentium artificum, & splendoris ac dignitatis optimis artibus in toto illo Regno accessio fieret. Neque vero ad hujusmodi egregias artes sublevandas parum profuit illud, de quo supra diximus, Templum jussu ejus extructum, cujus ædificii majestas & elegantia, optimarumque, quibus undique ornatum est picturarum genus, quid ingenio atque industria præstari posset liberalium artium cultoribus commonstravit, atque, ut simile aliquid hoc in genere audere possent, effecit.

Proximum autem post litteras optimasque artes quum locum commercia teneant, quumque, qua erat MARIA ingenii vi & sagacitate, videret, nihil ad acuendam hominum industriam, & ad populorum divitias amplificandas, magis conducere, quam mercaturam fovere, & quo latius fieri possit proferre, mirum quo studio huic rei animum ac mentem intenderit. Satis fortasse videri potuisset providentia ejus effectum fuisse jam, ut Lusitanæ gentis commercia reflorescerent: composita enim pace, restituta & aucta re maritima, quibus præsidiis commercium maxime viget ac floret, nihil impedimento esse videbatur, quominus sponte ipsi sua, & spe lucri excitati atque illecti homines totos se in mercaturam conferrent. Visum est ei tamen aliquid ab se desiderari adhuc posse, nisi uberioribus præsidiis comparatis, & quibusdam admotis veluti stimulis id præstaret, ut hoc publicæ felicitatis genus providentia magis sua, quam cupiditate hominum constitutum esse existimaretur. Neque id una lege decretoque perfecit, sed quoad Regno potita est, qua decretis, qua legibus, qua conventionibus a populorum suorum industria excitanda, atque a procuranda tum earum rerum quibus Natio abundaret ad exteros exportatione, tum earum, quibus egeret, invectione nunquam prorsus cessavit. Testes hujus rei Lusitani habent ordinationes sane permultas, quas ad laudem ejus cursim commemorasse satis arbitror esse, quum recensere singulas & lon-

gum & fortasse etiam molestum posset accidere: testem peritissimorum hominum cætum, quorum erat assidue inquirere & solerter expendere, quidquid mercaturæ provehendæ expedire videretur; quem quidem cætum, ut adaucta ejus auctoritas Regiæ voluntatis proposito magis responderet, ad dignitatem Tribunalis Regii evexit. Testes demum conventiones illas tam quæ cum Russiaco Imperio de proposito neutri patri favendi, si quod inter Europæ gentes exardesceret bellum, & mercatura duarum gentium concordibus animis expedienda, quam quæ cum Galliarum Rege, ad asserendam subditorum ei mercatorum libertatem in Lusitanam ditionem commigrandi, quam quæ cum Sardiniæ Rege, ut quidquid duorum Regnorum cives in alterutro vel inter vivos, vel causa mortis testamento cavissent, modo ex legibus ejus, in quo degerent, cavissent, firmum ratumque esset, opportune, sapienter, salubriterque sancitæ sunt.

At quæ in solam suæ gentis utilitatem ad imperium a Deo evectam fuisse, semper animo reputabat, eo cogitationes omnes suas referebat ut divino huic consilio, omni quacumque posset ex parte responderet; eamque Principis vim intelligens esse, ut hominibus, qui potestati ejus parent, disciplinam vivendi præscribat, quae facienda sunt jubeat, prohibeatque contraria, has quoque explendas partes a se esse judicavit. In leges propterea, unde omnem vivendi doctrinam

sibi subditi populi ducerent, inquirendum sibi studiose esse decrevit. Multas hujus generis Josephus pater, provide tulerat, quibus id sibi proposuerat tum ut vitia populorum emendaret, commendaretque virtutes, tum ut Lusitanam gentem ad eum, qui par erat, dignitatis gradum extolleret. Nullam tamen illæ certam sedem habebant, neque in unum veluti corpus ad comodiorem Judicum & Juris consultorum usum redactæ fuerant: Illa vero selectissimorum in jure Doctorum consilio constituto, eas partes ei dedit, ut leges illas ordinaret, accomodaret, atque in Lusitanum Codicem, servato rerum ordine ac distributione, referret, quod & feliciter, summis viris illis jussu ejus curantibus, perfectum est.

Tot tantisque rebus huc usque recensitis, quid est quod diu in aliis immorer persequendis, in quibus Lusitana Natio vigilem Mariae curam & providentiam experta est? Dies Beatissime Pater, me deficeret, si immorari in omnibus vellem, quæ fusius narrare potius historici possent, quam exiguis limitibus circumscripta Oratio complecti. Novas itaque agrorum, fructuosius colendorum, rationes inventas, vinarias ac frumentarias leges ab ipsa latas, fluminum, e quibus damna colonis, nautis difficultates, vectoribus ingentia pericula parabantur, vim coercitam, eorumque cursus emendatos, percomodas apertas vias, utiles & quæstuosas artes expolitas, Regiam Civitatem noctu facibus perpetuo ar-

dentibus illustratam, silentio præteribo, præsertim quum res ab ea præclare gestas Lusitani populi, jucundissimo grati animi sensu etiam nunc & admirentur, & prædicent. Vos vos Lusitanos testes appello; vos dicite, an gentis vestræ viribus terra marique confirmatis, auctoritate asserta, amplificato commercio, bonarum artium dignitate restituta, ulla umquam res fuerit in regnandi arte posita, quæ Mariae mentem effugerit! Illi ne defuit aut in negotiis suscipiendis prudentia, aut in gerendis dexteritas, aut in conficiendis alacritas atque constantia? Desiderata in ipsa umquam est a vobis ulla ex virtutibus illis, quæ magnam erga Gubernantes in populis reverentiam, benevolentiamque conciliant? Quæ humanitas, quæ simplicitas & quam effusa in omnes prorsus civium ordines beneficentia? Quo tua, o Maria, te enim postremo loco compellabo, de omnibus optime merita, progressa liberalitas est, ut nullis propemodum finibus clauderetur! Tu pupillos, expositos, carceribus detentos, viduas, senes, omnesque materno sinu miseros confovebas; Tu egenorum, quicumque tandem ii essent, levabas inopiam; Tu iis, quæ ad vitam necessaria erant, suppeditabas, neque in ipsa benefaciendi ratione, qua omnes, quam late patebat ditio tua universa, homines complectebaris, aliud spectabas umquam, quam ut benefaceres, quum quidquid in alios liberaliter contulisses, id perpetua oblivione deleri velles. Non id tamen vivens, multoque mi-

nus e vivis erepta consequi potuisti, quum beneficiorum a Te profectorum infixa vigeat Lusitanorum mentihus recordatio. Utar igitur hoc loco ea clausula, ac te Beatissime Pater non modo annuente, sed etiam, ut spero, adprobante utar, ut omnia brevi complexurus affirmem, Mariæ Reginae vitam comuni omnium sententia, civilem gubernandi seientiam & admirabiles virtutes, quae in publica rerum administratione floruerunt sapientissimorum Regum judicio, Christianam vero pietatem tuo maxime, qui veræ solidæque virtutis es judex, suffragio esse comprobatam.

Reliquum erat, ut Maria Regina, tam bene constituto sapientia ejus Regno, tam firmo, tam opulento, tantaque ab se asserta populorum suorum felicitate, quam diutissime perfrueretur. Sed quoniam in humanis rebus nihil firmum, nihil stabile, diuturnum nihil inveniri potest, quæque solidissimis fixa radicibus putantur, ea saepe momento temporis evelluntur, magna repente, facta est rerum conversio, quæ quidem si terrenis oculis inspiciatur, cui non miserrima Mariae sors & acerba calamitas videri posset? Si vero, ut par est, ad superna paulisper animum intendamus, & admirabilem Dei providentiam humana omnia sapientissime disponentis consideremus, egregie omni ex parte actum a Deo cum Maria Regina fateamur oportet, atque inde movum gloriæ ac laudis ejus argumentum sumamus. Usisatum enim divinæ providentiæ

ut, sicuti aurum igne, sic quos vere diligit et amat, ærumnis, molestiis, novisque in dies incomodis probet, eosque ad se transferat ab omni terrenarum rerum affectu sejunctos. Id porro unum Mariæ deerat, ut ejus virtus probata omnibus atque perspecta, per acerbas rerum vicissitudines, unde solidior evaderet, tentaretur. Pluribus quidem adversis casibus perculsa jam fuerat: novem enim vix elapsis a suscepto Regno annis, viro amantissimo Petro Rege e vivis erepto, magnoque & solatio & adjumento propterea destituta, non ita multo post Josepho Principe filio ejus, quem singulari Dei beneficio referebat acceptum, præter omnem expectationem orbatur; quo vulnere nondum obducto, conscientiæ etiam suæ moderatorem, cujus prudentia timidus ejus animus regebatur, amittit, quibus acceptis vulneribus eamdem animi firmitatem constantiamque retinuit, nihilque ab ea, quam semper præ se tulerat, dignitate recessit. Novum ei tandem atque inopinum malum paratur, & usque ad eam diem perculsa in suis, quos habebat charissimos, ipsa demum novo durissimoque calamitatis genere conflictatur. Vitam quidem tenet; tanta tamen in corpore perturbatione valetudinis premitur, tantisque spiritus ejus contractioris animi angustiis conficitur, ut vitam, in annos sexdecim productam, morte fortasse ipsa graviorem & asperiorem vixisse, sit omnibus exploratum.

Durissimam hanc in conditionem adducta,

sentiens se, nonnisi summa cum difficultate, neque cum ea, quam semper spectaverat, populorum sibi subditorum utilitate publicæ rei gubernacula tractare posse, quo erat animo ita ab omni regnandi cupiditate alieno, ut non aliam ob causam regnum susceperit, quam ut ne Regni legibus adversaretur, jus nomenque Regium sibi servans, ut Augustissimus Filius Joannes tunc Brasiliæ Princeps administrationem rerum publicarum suscipiat, Matrisque nomine gerat, sapientissime imperat, quem ut subjectis sibi gentibus amplissimum post se Moderatorem relinqueret, tanto studio curaverat, quemque & natura & educatione comparante eum esse cognoverat, qui suas partes pro dignitate sustineret, & facilius expeditiusque populorum commodis utilitatique serviret.

Sequuta sunt acerbissima illa tempora in quibus bellorum impetu perturbata omnia, & florentissima Europæ Imperia victricibus armis subacta, & ex iis plura penitus eversa sunt. Tantam hanc calamitatem Lusitania evadere quum non potuisset, Maria cum Regio ejus Filio universaque Familia Olisiponem deserere, remotissimisque in terris dominationi ejus subjectis, Regni sedem ac domicilium collocare coacta est. Quid memorem quam luctuosum visum id omnibus fuerit, ut quidvis Lusitaniæ populi perpeti maluissent, quam amantissima Regina charissimaque privari? Parendum tamen necessitati fuit: Discessit itaque, Regnum. Lusitaniam de-

seruit, Brasiliam venit. Sed quo tandem cum illarum gentium quas reliquit luctu, qua solitudine, quo mœrore! Eum certe tunc universa Lusitania dolorem cepit, qui nullo umquam tempore relevari posse videretur. Recursabant enim animis in amantissimæ Reginæ abitu ejus suavissimi mores, occurrebat religio, justitia, pietas, fides; recordabantur quam faciles ad illam fuissent accessus, quam comis in omnes esset, quam in omnes benefica, & liberalis, quam pene immemor sui, quam memor aliorum, ita ut, ea regnante nihil abfuerit quominus omnium gentium fortunatissimi haberentur; quæ quidem non poterant summum ejus desiderium non excitare, lacrymasque ex omnium oculis elicere. Quod vero adhuc viveret, etsi ab eorum oculis tanto locorum intervallo disjuncta, id scilicet aliquod eorum ægritudini levamen afferebat, id in aliquam eos spem, ut in humanarum rerum natura positum est, adducebat, fore ut ejus aliquando reducis præsentia iterum perfruerentur. At cum superiore anno XIII. Kalendas Aprilis, eam fato occubuisse rescitum est, quantus illico fletus factus est omnium! qui dolor, quæ mœroris magnitudo omnium animos vultusque pervasit! Unica nunc Lusitanis, & præcipue Olisiponensibus civibus spes reliqua est, mortales ejus exuvias, quoniam vivam non potuerunt, apud se habendi. Illud enim in supremis tabulis mandavit, ut ipsius cineres in Templum illud inferrentur, quod Sanctissimo Cor-

di Jesue Olisipone ab ea erectum est, tumuloque illi mandarentur, quem ipsa sibi in eo, dum adhuc in vivis esset, extruxit.

Mortna igitur Maria est, tantaque illa probitas, virtus, benignitas, sapientia misere concidit. Quamquam non sic mortua est Maria, ut cum ea quæ fluxa & caduca est, illa etiam ejus vita desierit, quæ semper erit apud posteros duratura, quamque apud omnes alte impressa virtutum suarum vestigia perennem efficient. Vivet fama sui nominis sempiterna, vivet in tot tantisque pietatis, munificentiæ, & charitatis, quæ in omne reliquum tempus constituit, monumeutis; vivet in Augustissimo Filio, qui virtutum ejus heres est & imitator egregius, quique populos sibi subjectos, per quatuor fere mundi partes, consilio sustentat, amore fovet, prudentia moderatur. Nos autem, si vere atque e christiana sapientia loqui velimus, non est cur tuum, o Maria, doleamus interitum: admiremur potius virtutum tuarum exempla, assiduis laudibus prosequamur, &, si fieri potest, imitatione decoremus. Hæc enim vera cujusque pietas esse debet, is verus honos in illustrium seu fœminarum, seu virorum memoria recolenda, quorum animas jure credimus bene anteactæ vitæ conscientia gaudentes, esse jam præmia consequutas, quæ proposuit Deus iis qui de religione, qui de humano genere optime meruissent. At quum judicia Dei immortalis, mortalis hæc nostra infirmitas perscrutari non possit, &

quamquam MARIAM tot adversis casibus diuturnaque ægritudine purgatam divinæ justitiæ plene satisfecisse credamus, quum fortasse tamen aliquid adhuc ei de temporali pœna luendum supersit, æquum est tuis illam, BEATISSIME PATER, vestrumque omnium, qui ad hoc honestandum funus frequentes convenistis, apud Deum precibus adjuvari, ut mendis omnibus, quibus humana fragilitas obnoxia est expiata, omnibus tandem vinculis absoluta in consortium Sanctarum Mulierum quas Regia ejus Familia tulit, Theresiæ nemque, Sanciæ, Mafaldiæ, Joannæ, & Elisabeth, quarum fideliter vestigia pressit, imitata est exempla, quam citissime perducatur.

